



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 42. De alienatione iudicii mutandi causa facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

3. Præterea is effectus est restitutionis, quod, licet remedium sit extraordinarium personale, l. 3. §. *sed utrum* 4. D. De minorib. tamen, quia est in rem, & juri familiæ inhæret, d. l. *In causa* 13. §. *interdum*, ideo ad hæredem & ad universalem successorem transeat l. 2. §. 4. c. De temporibus in integrum restit. accedi possit, l. *Quod si minor* 24. in prin. D. eod. non tamen transit in fidejussorem vel socium d. l. *In causa*, l. 1. §. 2. C. De fidejussor. minor. quia iniquum & injurium foret subvenire fidejussori in necem creditoris, qui in securitatem obligationis fidejussorem recepit, d. l. *In causa*. Secundò, quia fidejussor habet recursum adversus minorem, ut in demnis maneat: ideoque eum ordinarium habeat remedium, non debet ei concedi extraordinarium. Denique, quia minor restituatur, eò quod fragile & infirmum sit ejus iudicium: enjusalmodi non est fidejussoris, qui cum sit major, cautius prospicere sibi debuit, nec tam facile spondere, cum, ut dici solet, *Sponde præsto noxa est*.

TITULUS XLII.

De alienatione judicii mutandi causa facta.

1. 2. Ratio hujus restitutionis: ad quid detur & adversus quem.

3. Quid nomine alienationis intelligatur.

4. Datur illis, quorum interest.

1. Contingit nonnunquam, ut adversarius dum iatelligit litem adversus se parari, malignè rem, de qua futura est controversia alienet, ut hoc modo eludat intentionem agentis, ei duriorem ac molestiorem adversarium in suum locum obituendo. Quare merito providendum fuit de remedio aliquo illis, in quorum præjudicium rei in iudicium deductæ sit alienatio, judicii mutandi causa, præsertim cum ex ejusmodi alienatione comperat quædam species restitutionis in integrum, de qua proximè actum est, quæ jure actionis Prætoris in factum intra annum utilem obtinetur, adversus eum, qui sic rem alienavit, ad id, quanti nostra interest, alium ad-

versarium non habere, aut potius (in quo præcipua vis hujus restitutionis consistit) ut patiatur secum pristina actione utiliter agi, perinde ac si non alienasset, sed adhuc possideret.

2. Dixi, adversus eum, qui sic alienavit; id est mutandi judicii causa & fraudulenter seu dolo nam utrumque ad hanc actionem restitutoriam requiritur, l. 4. D. eod. Atque ideo, si quis sine dolo possidere deherit, veluti, si rem ipsam, quæ petitur, obligatus Titio solverit, aut venditori reddiderit, vel alienaverit, ut litis molestias subrefugeret, adversus eum non dabitur hæc actio Welsenb. in *Parat. D. h. s.* Sicut nec adversus eum, qui dolo quidem possidere deherit non tamen judicii mutandi causa.

3. Nominè alienationis intelligitur hic omnis actus, per quem dominium in alium transfertur, l. 1. Cod. De fundo dotali: sive sit conventio, ut venditio, permutatio, donatio; sive permissio ut dum quis permittit rem suam usucapi, l. Alienationis D. De verb. significat. sive non usus, ut dum quis non utendo servitute, illam amittit, d. l. Alienationis.

4. Addidi, ad id, quod nostra interest, quia ei, cujus nihil interest, non competit hæc actio restitutoria, ut patet ex l. 3. §. *penult. & ult.* D. eod. Si quis igitur rei alienæ detentor, metuens ne iudicio conveniatur, quia intelligit forte rescriptum adversus se à summo Pontifice impetratum esse, transferat eam rem in alium, eo animo, ut frustretur adversarium, & rescriptum eludat, quod ultra expressa non extenditur, nec adversus alium, quam qui in rescripto nominatim continetur, vim habet, ut dictum est ad Tit. De rescriptis: tamen impetrans eodem rescripto uti poterit etiam adversus eum, in quem res est translata, licet in rescripto non sit nominatus, l. 1. h. s. Similiter si Clericus actionem vel æs alienū alicujus laici in se transferri curaverit, eo animo, ut adversarium suum, cogat causam suam agere vel defendere coram Judice Ecclesiastico, datur adversus Clericum hæc exceptio, quod cessio illa actionis, vel æris alieni, sit facta mutandi judicii causa, cap. 2. h. s. quia non debet alteri per alterius factum & dolum præjudicari vel iniqua conditio adferri, l. 1.

D. eod. l. Non debet 74. D. De reg. juris cap. Mutato 3. De R. l.

in 6.

TITU.